



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Ad quid teneatur, qui scienter contulit Præbendam alicui ignorantibus,
quam conferre non poterat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

Ad quid teneatur, qui scienter
conlulit Prabendam alicui ignoranti,
quam conferre non poterat?

Sciat collator, conferre tale beneficium non posse, conferat tamen alicui, ignoranti hunc defectum, & bonam fidem habenti, tunc hoc evicto tenetur, cum primum potest aliud illi beneficium vacans, aut proximè vacaturum, cum vacaverit, conferre, c. *Inter cetera* 17. h. t. ne videatur in fraudem, & ad deludendum alterum agere tantum voluisse Episcopum; vel certè statuente hoc jure in odium Episcopi dolose agentis, in hac collationis materia. Unde si Episcopus conferens, vel alius collator non scivit, quod beneficium tale conferre non possit, ad nihil tenetur conferens bonà fide beneficium, quod conferre non potest; cum omnis fraudis suspicio in tali casu absit.

§. IV.

Quomodo beneficia conferri debeant, & an etiam possint sub conditione, vel modo?

Beneficia Ecclesiastica primò debent conferri gratis, nullo interveniente pretio, præmio, aut mercede &c. ad cavendam Simoniam. Secundò debet liberè fieri, non per metum injustum, aut vim &c. tanquam liberalis quædam donatio. Tertiò non debet esse sub aut obreptiè collatio fuisse obrepta, cum talis sub aut obreptio tollat liberum consensum conferentis. Quartò debet fieri (saltem ut licitè fiat) collatio beneficii palam coram aliis, & non clandestinè, & secretò, cum tales actus clandestini sint

suspecti de periculo fraudis, aut Simonie &c. Quintò beneficium, quod conferitur, debet esse vacans, ne fiat contra c. 1. de concess. praben. Sextò debet conferri sine diminutione, ut vult capit. *Unicum* vs *beneficia sine diminut.* Sc. Septimò debet conferri in perpetuum, juxta definitionem beneficii propriè dicti. Octavò non debet conferri alternativè sive disjunctivè, *confero hoc, vel illud beneficium, confero huic, vel illi beneficium*, ne collatio beneficii incerta & dubia videatur. Nonò non debet unum idemque beneficium, simul, & conjunctim duobus conferri, cum hoc sit contra c. *Tua* 20. h. 2. Decimò quamvis scriptura ad validam collationem necessaria non sit, nisi fortasse in beneficiis à Sacra sede, vel ejus Legato obtentis, plurimum tamen conducit scriptura ad probationem factæ collationis, si in judicio de ea dubium oritur. Undecimò sub conditione propriè dicta, quæ suspendit actum in futurum, nulla est collatio, (quia collationes tales inter eos actus legitimos numerantur, qui secundum juris dispositionem, nec conditionem, nec diem recipiunt) & quamvis collatio sub conditione extrinseca de presenti, aut præterito facta, non suspendat actum, quia tamen adjunctam incertitudinem habet, ideo rejicitur argu. c. 2. de elect. in 6. juncta Gloss. V. *Incerta*. nisi conditio talis de jure ipsi collationi inesset, quæ etiam si exprimat, non facit collationem invalidam, sicuti nec modus, qui de jure inest collationi; hinc valida est collatio, quæ fit his verbis, *confero tibi hoc beneficium, si jam vacat; confero tibi hoc beneficium parochiale, ita tamen ut obligatus sis intra annum sacerdo-*